



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De Testamentis, Codicillis, & ultimis voluntatibus. Pars II. De Hærede, & Hæreditate. Pars III. De Legitima Trebellianica, & aliis Detractionibus

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XX. Romana Testamenti, & codicillorum. An hæreditas directò in testamento relicta Ecclesiæ, vel piæ causæ, revocari, seu adimi valeat per codicillos favore alterius piæ causæ; Et incidenter, an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74043](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74043)

6 digentibus, etiam de summis notabilibus, idem charitatis terminus, seu vocabulum adhibetur, unde propterea constat, quod esset consuetudo loquendi testatoris, ita explicandi amorem, ac benevolentiam sub hoc vocabulo charitatis.

His tamen non obstantibus, contrarium dicebam probabilius (etiam in sensu veritatis per Judicem quoque agnita); In hac etenim quaestione in qua nostri majores se involvisse videntur, ut patet ex al-
7 latis per *Magdalen. de n. test. par. 2. cap. 2. num. 37. cum seq. Surd. de adm. tit. 8. priv. l. 1. Franch. decis. 565. ubi adden. Marcian. jun. resp. 3. part. 1. Rub. de testam. cap. 73.* apud quos ceteri; Vera, & germana distinctio videtur, quod; Aut nulla legandi causa expressa est, sed ex legatarii paupertate cadere valeat dubitatio, an magis ex motivo sanguinis, quam ex illa pietatis, legatum factum sit, & tunc in dubio, potius causae naturali sanguinis, quam alteri pietatis, dispositio referri debeat.

Aut expressum est motivum pietatis, illud autem qualitate legatarii incongruum sit, quia nempe sit bene provisus, & tunc verius est, ut ille dicatur color quaesitus, ut pluries expertus sum, quod ex affectata cautela Notariorum, vel partium citra intentionem testantis id adjici solitum sit; Aut demum, attenda qualitate personae, congruat pietatis motivum, quia nempe conjunctus dici mereatur pauper, cui charitatis, ac pietatis terminus recte conveniat, & tunc testatore istud motivum expli-
9 cante, nulla subesse videtur congrua ratio, cur ipsius testatoris expressioni deferendum non sit.

Elemosyna siquidem, juxta bene ordinatam
9 charitatem, magis distribuenda est conjunctis, ac proximis, quam extraneis, ex iis, quae ceteris relatis deducuntur per *Franch. decis. 190.* ibique *Add. & plenè per Rub. de testamen. cap. 73. numer. 72. & seq. & num. 87. & seq.* ubi plura de more colligit (magnam ostendendo lecturam), contra eos qui habentes pauperes conjunctos, istis neglectis, Ecclesiae, vel pia causa relinquant.

Hinc proinde, cum in hac facti specie ageretur
10 denobili matrona, vidua, & senex, aliquibus infirmitatibus subjecta, de fortunae bonis parum provisus, atque numerosa familia gravata, utique attenda ejus conditione, pauper dici poterat, atque hujusmodi legata in summa scutorum trium mille, habita proportione ad hereditatem dictae pie Societati relicta, quam supponebatur esse valoris circiter 8000. importabant quamdam modicam elemosynam, factam ex illa saltem morali obligatione, quae late ceteris relatis exagatur per *Rub. ubi supra*; Et pro-
11 pterea ista videtur quaestio potius facti, quam juris pro facti qualitate prudenti arbitrio decidenda.

Ex his autem, inanis remanebat altera inspectio, an dicti codicilli non solemnes, suffragarentur pro hujusmodi legatis nec ne, quoniam posita pietate dispositionis, ita cessabat quaestio in radice; Verum ubi de illa agendum esset, an scilicet testamentum ad
12 pias causas, valeat etiam quoad dispositiones prophanas; Deducebam eadem quae habentur supra
12 *disc. 12.* & in aliis, quod scilicet difficultas cadere posset, quando in testamento, vel alia ultima voluntate imperfecta, adesset solum quaedam mixtura accidentalis, vel accessoria causae pie, puta legatorum, adeo ut id quod ad causas prophanas dispositum est, atque ex hoc defectu indebitum remaneat, cedat commodo legitimi heredis, & tunc intrare potest opinio dividens dispositiones, substinendo scilicet piam, & reprobando prophanam; Sed ubi ipsa pia causa instituta est haeres, unde propterea id quod legatariis tolleretur, ipsi pie causae accresceret, tunc ex regu-

la, quod quisque juris &c. & ex altera ratione *d. disc. 12.* & in aliis pluries insinuata, quod Ecclesia, & pia causa generaliter juris positivi solemnitate negligere debet, ac potest, solumque procedendum est cum veritate naturali, justum, ac rationabile non est, ut disponentis voluntatem scindat, atque obtineat ea bona quae scit, quod defunctus, non sibi, sed alteri relinquere voluit.

Potissimum ubi (ut in hac facti specie), dispositio
13 bonam fidem, ac sinceritatem praefereat, omnemque tollat machinationis suspicionem, quod scilicet affectate, causa pia, vel Ecclesia haeres instituta esset cum minori emolumento, ut ita majus esse valeat illud eorum, pro quibus dispositiones cantant, adeo ut, non improbabiler de sincera, & perfecta defuncti voluntate dubitari valeat, pro facti qualitate, ut in praecedentibus advertitur.

Ista verò suspicio in hac facti specie cadere non poterat, stante modicitate legati comparative ad hereditatem; Ut enim advertitur infra in *Avenionen. disc. 39* ac etiam in *Romana de Martinis disc. 33.*
14 Verisimile, vel inverisimile, five magnum, vel respectivè modicum interesse, in hac materia totum regulat; Si enim aliqua machinatio in hoc fieri debuisset ex parte hujus legatariae, utique, vel tota hereditatem, vel saltem longè majorè summam pro se captare studisset; Ac ulterius omnis suspicio penitus aberat ex qualitate istius mulieris, quodque non agebatur de testamento, vel codicillis conditis aliena manu per graviter infirmum, quo casu hujusmodi suspensiones, vel quaestiones intrant, sed omnia confecta erant per ipsum testatorem, manu propria accuratè, ac in statu valetudinis, ideoque de naturali veritate, ac sinceritate actus non erat dubitandum.

ROMANA

TESTAMENTI

ET

CODICILLORUM

INTER

MONASTERIA CONVERTITARUM,

ET

PUELLARUM MENDICANTIUM.

Discursus in congressu pro veritate.

An hereditas directè in testamento relicta Ecclesiae, vel pie causae, revocari, seu adimi valeat per codicillos favore alterius pie causae; Et incidenter, an pia causa detrahat trebellianicam contra aliam piam causam?

S U M M A R I U M.

1 **F**acti series.
2 Hereditas codicillis dari, & adimi non potest.
3

3 Etiam

- 3 Etiam favore pia cause, si alia pia causa est heres.
 4 De ratione ampliationis, & num. 14.
 5 In milite est contrarium, & quare argumentum ad
 6 Trebellianicam detrahitur per piam causam contra
 7 aliam piam causam.
 8 Contrarium ejus quod habetur num. 3. ut codicillis
 9 adimatur hereditas.
 10 Item contrarium ejus, de quo num. 6. & infra nu-
 11 mer. 12.
 12 Quod verior sit opinio, de qua num. 7. & de ratio-
 13 ne.
 14 Et quod non sit privilegium, sed quia sic exigit ratio.
 15 Et de simili in testamento militari, vel inter liberos.
 16 De conclusione, de qua num. 6. & 8.
 17 Testator non potest facere, ut codicillis hereditas
 18 detur, vel adimatur, sed potest prohibere trebel-
 19 lianicam.
 20 Respondetur ad rationem, de qua num. 4.

DISC XX.

Postquam Ascarius Rivaldus qualificatus
 Prælati, testamentum condiderat, in quo
 heredem scripserat Monasterium mulierum
 pœnitentium, quæ vulgò *Convertita* nun-
 cupatur in via curfus, in postremis codicil-
 lis mandavit, ut totum id, quod in testamento ad
 favorem dicti Monasterii disposuerat, censeretur
 dispositum ad favorem Conservatorii puellarum
 mendicantium; Cumque Administratores Mona-
 sterii, sequuta morte testatoris, prætenderent quod
 hereditas in testamento relicta, non potuissent in co-
 dicillis adimi, quodque propterea sibi debitus esset
 titulus hereditarius, cujus ratione sibi debita esset
 trebellianica pro ejusdem hereditatis restitutione
 jure obliquo fideicommissi quod ex codicillis resul-
 tat; Ego verò essem utriusque loci deputatus;
 Hinc benevolè statutus fuit congressus coram do-
 ctissimo Prælato dicti Monasterii judice, de quo plu-
 ries mentionem facio, præsertim *sub tit. de feud. disc.*
 5. in quo congressu, meum votum fuit, quod dicti
 Monasterii præsentio probabile fundamentum non
 haberet, eique alii adhæserunt, idque controver-
 siz finem dedit.

Motivantes pro dicto Monasterio primo institu-
 to in testamento; Dicebant, quod ei juris regula
 assisteret, ut scilicet hereditas, codicillis dari, vel
 adimi non valeat ad *text. in l. quidam §. fin. ff. de
 condic. instrum. l. 2. Cod. de codicill. §. codicillis instru-
 eod. cum plur. concordan.*

Neque dictæ regulæ obstare dicebant, quod co-
 dicilli concepti essent ad favorem piæ causæ; Tum
 ex regula conqassationis privilegiorum inter æquè
 privilegiatos, de qua supra *disc. 15. cum aliis per Ti-
 raquell. & adden. de privileg. piæ causæ cap. 26. & Ciar-
 lin. contrrov. 39.*

Tum clarius, magisque stringenter, ex doctrina
Bald. in l. 1. C. de sacros. Eccl. n. 146. & seqq. ubi in
 specie firmat, ut dicta regula procedat, quamvis in
 4 codicillis favore piæ causæ dispositum esset, assigna-
 taratione, quod scilicet testator, eligendo codicil-
 lari potius, quam testari, elegisse videatur viam in-
 competentem ad disponendum jure directo; Et con-
 sequenter quod ita adesse dicatur defectus volonta-
 tis, quem utpotè juris naturæ, favor causæ piæ non
 supplet; Atque doctrinam *Bald. sequuntur Ale-
 xand. in l. 2. C. de codicill. numer. 1. & alii relati per
 Vasquez de success. lib. 3. §. 25. num. 9.* (qui
 hinc inde discurrit, atque nihil firmando relinquit
 cogitandum), & *Castil.* (qui remissivè loquitur

nihil firmando) *lib. 4. contrrov. cap. 3. numer. 9.*

Et quamvis in milite, contrarium in jure dispo-
 situm sit, ut etiam codicillis hereditas adimi valeat,
 ad *text. in l. militis ff. de militar. testam. cum concor-
 dan. per Vasquez dicto §. 25. num. 15. Boss. de test. mi-
 litar. tit. 11. §. 2. n. 35. & sequent.* Considerari solet ta-
 men ratio differentiz ab eod. *Bald.* & aliis assignari
 solita, quod scilicet in milite intrat excusatio ratio-
 ne militaris simplicitatis, quæ ratio non militat in
 pagano qui præsumitur scire, vel scire tenetur juris
 dispositionem, cujus ignorantia non excusat.

Atque ad motivum, quod hujus quæstionis nul-
 lus esset effectus, dum hic versatur solum circa de-
 tractionem trebellianicam, quæ non datur contra piam
 causam; Respondebant cum eadem regula con-
 quassationis privilegiorum, quodque propterea pri-
 6 vilegium quod piæ causæ competit, ut contra eam
 non detur detractio falcidiz, vel trebellianicæ, non
 procedat contra aliam piam causam æquè privile-
 giatam, & consequenter ut hæres pia causa, detra-
 hat trebellianicam, & falcidiam ab alia pia causa, ex
 iis, quæ latè refert *Ciarlin.* (qui disputat quæstio-
 nem ad partes) *dicta contrrov. 139. & seq.*

E conversò motivantes pro Conservatorio voca-
 to in codicillis, dicebant, quod contraria opinio,
 ut ad instar privilegii militaris, favore piæ causæ pos-
 sit codicillis adimi hereditas testamento relicta, esset
 verior, magisque communis, allegando ad id *Bart.*
 7 *conf. 68. num. 2. lib. 2. Ias. iul. 1. Cod. de codicill. nu.*
 2. *in tertio limit. Gugliel. de Benedic. in cap. Raynu-
 tium §. 3. num. 58. Baldaxar. de Thomasi tract. 10. de
 disposit. ad piæ causæ cap. 43. num. 92. Fusar. conf. 94.*
 ubi in specie contra aliam piam causam.

Quodque in omnem casum, nullus exinde resul-
 taret effectus, eo quia verius esset, ut privilegium
 piæ causæ non patendi detractio trebellianicæ,
 vel falcidiz locum habeat etiam contra aliam piam
 causam, ut firmant alii pariter collecti *per Ciarlin.*
 d. *contrrov. 139.* & refert etiam hinc inde *Rota* quæ
 nihil decidit *decis. 11. num. 13. part. 10. recen.* & ha-
 betur magis ex professo actum in sua sede *sub tit. de
 legitim. & detractio.*

Mihi autem verior visa est hæc secunda opinio,
 ideoque fui in voto cui ceteri adhæserunt, quod
 præsentio dicti Monasterii probabilitatem non ha-
 beret, Tum quia dicta posterior opinio *Bart.* ma-
 9 jorem autoritatum assidentiam habere videtur;
 Tum clarius ob convincentem rationem in præce-
 dentibus pluries insinuatam, ac etiam *sub tit. de si-
 deic. disc. 108.* ut pia causa, cum naturali jure, sola-
 que naturali veritate regulanda sit, ideoque non
 admittat Juris civilis distinctiones, ac subtilitates in-
 ter directas, & obliquas dispositiones, ac inter tes-
 tamenta, & codicillos, sed attendat solum ipsam
 naturalem veritatem, quid scilicet testator voluerit,
 Ideoque (ut alibi advertitur) istud dicitur privile-
 10 gium improprie, ac per quemdam modum loquen-
 di, ad distinguendum has dispositiones ab aliis pro-
 phanis quæ juri positivo ejusque regulis subjectæ
 sunt, non autem quod verè sit privilegium, unde
 propterea intraret regula conqassationis privile-
 giorum inter privilegiatos.

Ea verò quæ per DD. ponderantur de testamen-
 11 to militari, sive de altero inter liberos, rectè intrant,
 non in ratione communicationis, vel extensionis
 privilegii, (ut aliqui non bene opinantur) sed ex
 identitate rationis, ut scilicet, quemadmodum in
 milite ob simplicitatem, vel in patre ob cessantem
 suspicionem, lex dispensat regulis generalibus, ita
 fortius in piis dispositionibus.

Eademque ratio, planam apud me perpetuò red-
 didit

De LUCA
 de
 instrumentis
 etat
 9

1 2 didit supra recensitam posteriorem opinionem, circa detractionem trebellianicæ, vel falcidicæ, ut ei subiecta esse non debeat pia causa, quamvis cum altera pia causa contentio sit, adeo ut una ex legistarum ineptiis, ista visa sit, ita in huiusmodi propositione variando, atque unam ex involutis questionibus desuper efformando; Idque non ex regula conuassationis privilegiorum; Minusque ex eisdem regulæ limitatione, an uterque sit pariformiter privilegiatus activè, & passivè, nec ne, cum similibus frigiditatibus; Sed ex dicta ratione, quod in pia causa attendenda est sola veritas naturalis, ac perfectio voluntatis, ut ista observetur, suumque effectum sortitur eo modo, quo verè defunctus voluit, ut d. *iii. de legit. & detraction.*

Quinimò fortius adhuc effectum, quàm ad alium superius dictum, adimendi codicillis hereditatem, quæ directò in testamento data sit; In eo enim accedit in defuncto circa ea quæ legi positivæ subjacent, defectus potestatis, cum neque volens posset id, quod expressè lex vetat; In isto autem casu, ex veriori, magisque recepta sententia, nullius dignoscitur potestatis defectus, etiam cum filiis primi gradus, clarius verò cum extraneis, sed totum pendet à voluntate, quæ præsumpta, & conjecturalis etiam sufficit, ut infra in sua materia *sub iii. de detractionibus*, Et consequenter præsumenda est voluntas eo modo, quo naturaliter explicata est, non autem pro ut lex positiva eam refecat, vel alterat, ideoque duplex urget ratio, quarum una sufficit.

Ratio autem *Bald.* ut defectus adimendi codicillis hereditatem, quæ directò data est in testamento, percutiat defectum voluntatis qui in pia causa etiam admittendus est, nil concludit; Vera siquidem est dicta propositio, ut imperfectio, vel defectus voluntatis per favorem piæ causæ non suppleatur, sed fallacia est in applicatione, quoniam intelligitur de imperfectioe naturali, ac de factò, quia nempe voluntas adhuc non esset completa, & redacta ad terminum, sed potius adhuc esset in via, juxta plures in præcedentibus deducta; Secus autem ubi voluntas est naturaliter perfecta, & determinata, ejus tamen, ac etiam potestatis defectus proveniat à dispositione, ac subtilitate juris positivi, quoniam semper intrat idem principium, ut quoad piam causam habendum sit, ac si corpus legum civilium receptum, ac in usu receptum non esset, attendendo illud rerum statum cum quo vivebatur priusquam ab aliquibus sæculis citrà id sequeretur, juxta historiam, de qua infra *disc. 25. & sub iii. de servitut. disc. 1.*

ROMANA HÆREDITATIS seu DOMVS

PRO

ABB. CELLESIO, ET CONSORTIBUS

CUM

CAPITULO SANCTI NICOLAI IN CARCERE.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Capitulo, pendet in Rota.

De eadem materia, an codicillis adimi possit hæreditas, quæ piæ causæ

in testamento relicta sit; Et quando dispositio codicillaris non importet ademptionem, sed declarationem.

SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 Hæreditas codicillis non adimitur.
- 3 Ecclesia, vel pia causa activè, & passivè regulatur cum sola veritate naturali.
- 4 Potissimè ubi servatur ordo charitatis cum suis.
- 5 Quando pia causa relicte impugnet minus solemnem voluntatem.
- 6 Quid importet hereditatem non adimi codicillis.
- 7 De abusu non deferendi rationibus.
- 8 Fideicommissaria dispositio tollit potest codicillis.
- 9 Mater est instituenda cum titulo honorabili, alias testamentum corrumpit, & quid operetur clausula codicillaris.
- 10 An testamentum clerici subjaceat quærela inofficij.
- 11 In testamento militis, hæreditas codicillis adimitur.
- 12 De effectibus questionis an institutus in usufructu, alio vocato post mortem dicatur hæres, vel legatarius.
- 13 Quod sit questio nimium disputa.
- 14 Regula est hodie ut censetur legatarius.
- 15 Sed cessat ex conjecturis, & clarius ex declaratione testatoris.
- 16 Donator potest declarare donationem quamvis irrevocabilem.
- 17 Quod in hoc attendi debeat substantia voluntatis, non autem formula verborum.
- 18 De material. cum avus, & l. cum acutissimi.

DISC XXI.

Andreas de Jovardis Canonicus S. Nicolai in carcere, in testamento, hæredes usufructuarios reliquit successivè unum post alterum, Benedictam matrem, Catharinam sororem, & Franciscum nepotem; Hisque omnibus defunctis voluit esse ejus hæredem Capitulum dicte Ecclesie; In codicillis autè, dictam dispositionem in eo alteravit, ut Capitulum succedere deberet, quatenus Franciscus decederet sine filiis, quos superlites, eorumque descendentes vocavit; Cumque ex dicto Francisco fuissent superlites filii, qui testatoris domum vendiderunt Cellesio, & consortibus; Hinc dictum Capitulum, post annos triginta sex à morte testatoris, tanquam istius primus, ac directus hæres, judicium immisionis, ex remedio *l. fin. Cod. de Edict. Div. Hadr. toll.* instituit ad dictam domum, contra possessores coram A. C. à quo obtinuit, atque pendet appellatio in Rota, nisi concordia litem terminaverit.

In disputationibus autem desuper habitis, punctus erat, an dicta codicillaris dispositio attendi deberet nec ne; Scribentes enim Pro Capitulo id negabant, ex regula ut codicillis, hæreditas quæ in testamento directò data est, adimi non possit, quamvis ad favorem alterius piæ causæ id actum sit, juxta doctrinam *Bald.* & aliorum, de quibus *disc. præced.* Multò magis ubi ipsa pia causa privilegiata directò instituta est, ademptio autem in codicillis facta est ad favorem personæ non privilegiatæ; Unde propterea, cum nulla haberetur trebellianicæ prohibitio,